

veluti quaedam renouatio, ac regeneratio corporis, ac totius hominis, de quo infra. *Cum sederis.* In sede apparebit, tum propter auctoritatem suam, tum etiam vt animus sedatus, ac tranquillus declaretur, vt conueniens est iudici, vt iuste iudicet. *Filius hominis.* Non dicitur filius Dei, sed filius hominis, vt denotetur, quod illa gloriosa sedes ei data est, non quia filius Dei existit, sed quia per merita, mortem, ac sanguinem suum eam comparauit. *In sede maiestatis sue.* Syriacus habet: *Super thronum gloria sua.* Sedes autem, & thronus iste erit quaedam nubes; iuxta illud Apocal. 14. num. 14. *Vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem, similem filio hominis.* Sedebit Christus omnium iudex ad iudicandum totum orbem; dicitur autem sedes maiestatis, thronus gloriae, quia nubes illa erit plena gloria, ac splendore, & Dominus omnibus Angelis, ac sanctis stipatus apparebit.

59. *Sedebitis & vos.* Nunc humiles, & abiecti. Quo denotatur primò eorum securitas, secundò excellens manus iudicandi; tertio eorum præclara dignitas præ cæteris. Quarto, quod in iudicando proximum locum apud Dominum obtinebunt. *Super sedes duodecim.* Hi Apostolorum throni erunt ex nubibus pulcherrimis, ac multa gloria fulgentibus, similes throno Christi in ipso aëre constituti. *Super sedes duodecim.* Non confusè omnes in vno sedili, sed magnifico ordine, in vestris singuli thronis. Et respicit numerus duodecim Apostolos, intellecta conditione, si perseuerauerit in finem. Vnde, quia Iudas dilapsus est, non habuit sedem. Et ponitur numerus certus pro incerto, duodecim nempe pro omnibus; Christus loquens duodecim Apostolis, in eis etiam ad eorum sectatores habet sermonem, qui renuntiantes mundum, Christum sequuntur, multum laborantes in conuersione, ac salute animarum; de quo infra quæst. 15.

60. *Iudicantes.* Tanquam principes orbis, ac iudices delegati à Christo omnium supremo iudice. *Pater iudicium omne dedit filio hominis,* Ioan. 5. num. 22. Quo magna gloria factorum Apostolorum exprimitur. *Duodecim tribus Israël.* Id est totum populum Israël, nam quamuis tribus Ioseph esset bipartita in Ephraim, & Manasse, tamen dicuntur duodecim tribus respiciendo ad duodecim Patriarchas Iacobi filios, & Apostoli dicuntur iudicare duodecim tribus, quia erant de populo suo, & his tunc prædicabant, & ab eis erant contempti, ac iniuriis affecti; An vero Apostoli solum duodecim tribus Israël iudicabant? Affirmant D. Chryostom. Euthym. Melius tamen dicendum cum D. Augustino, Abulens. ac aliis, quod omnes gentes hic intelliguntur; Nam cum populus Israël, cui Messias erat promissus, expulsus esset à sua hereditate ob illius delicta, tunc illius loco ingressæ sunt gentes credentes, ac veluti in duodecim tribus transpositæ, & insertæ, ac quasi earum ciuitate, ac iure donatæ sunt; sic in duodecim portis ciuitatis sanctæ Ierusalem, erant nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël, Apoc. 21. n. 12.

& Angelus de Christo ait ad B. Virgin. *Regnabis in domo Iacob,* Lucæ 1. num. 32.

QVÆSTIO X.

Quare Christus primò assignat præmium sui sequelæ, quàm paupertati, & hoc adhibita iuramenti forma?

61. Petrus sollicitus Collegij Apostolici procurator duo merita Christo allegat. Primo, *reliquimus omnia.* Secundò, *secuti sumus te.* Tunc Dominus respondens, & mercedem eorum meritis assignans, ait; *Vos, qui secuti estis me.* Primum sui sequelæ, deinde paupertati præmium declarat, cur planè non satisfit Petri interrogationi eodem ordine, quo ipse proposuerat?

62. Respondet primò Eusebius Emilsen. homil. 4. de Natal. Apostolorum. *Duo Christus proposuerat, sed alterum Christus assumpsit, non enim dixit, vos qui reliquistis omnia, sed dixit, vos qui secuti estis me; sufficiens ergo fuit alterum dicere, quia utrumque in vno continebatur.* Primo ad secundum, quod Petrus dixerat, respondet Dominus, in ipsa enim Christi sequelæ omnium abnegatio, ac renuntiatio includitur, non enim quis potest Christum perfectè sequi cum sæculi amore, hic enim deponendus est, vt ex toto corde ei adhaereat nostra mens.

63. Secundò. Christus D. prius declarat quale sit præmium sequelæ, quia præcipua res, eaque Apostolis propria erat, deinde de spontanea rerum abnegatione agit. Vnde ait D. Hieronym. *Vos qui secuti estis me, &c. Non dixit, ait, qui reliquistis omnia. Hoc enim & Socrates Philosophus, & multi alij diuitias contempserunt. Sed qui secuti estis me, quod proprie Apostolorum est, &c. Voluntaria paupertas illustrissima virtus, quæ in Catalogo beatitudinum primo loco vt princeps ponitur. Beati pauperes spiritu, &c. Matth. 5. Quia tamen in Socrate Philosopho, ac aliis eiusdem farinae hominibus exitit, ideo existimat Hieronymus eam à Christo Domino, primo loco præteriri, & eam duntaxat apposuisse, quæ vt propria in Apostolis inuenitur. Ecce bonorum dimissio alioquin valde præclara virtus, deueniatur tamen, quia in Socrate homine idololatra reperta est, quæ si excellentia operis aliquando, non tam ex opere, quam ex operante censetur, ac iudicetur. Estimabat multum Naboth vineam suam, non ob vberes fructus, quos ferebat, sed quia parentum manibus plantata fuerat; vnde Achab dixit Naboth. *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrem meorum tibi,* 3. Reg. 21. num. 3. Vide supra cap. 8. n. 275.*

64. Quæstio secundò inquit; Quare Dominus non absolute, ac simpliciter facit suam promissionem, sed interposita iurandi formula sermonem suum confirmat. *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, &c.* Respondeo. Primo. Quod tam difficiliter obsequia exhibita remunerantur inter homines, quod vt huiusmodi promissionibus fides adhibeatur, iurandi forma rem stabiliri expediens visum est.

65. Secundò. Vt iurandi forma auditores maxime in promissis certi redderentur, ac de eis minime eorum animus fluctuaret, sed ad hoc fat erat diuina autoritas, eiusque infallibilis veritas, ad quid in super iuramentum? Apparet Deus Isaac, multasque promissiones ei faciens de terra promissi

Genel. 26.

promissionis. *Complens iuramentum, quod spondi Abraham patri tuo,* Genel. 26. n. 3. sufficiens erat, quod Deus dixisset promissionem factam Abraham, ad quid insuper iuramentum vocat? Homines cum sint mendaces, vt securitatis munimen suis promissionibus adhibeant, eas iuramento corroborant; At Deus, qui est prima, & summa veritas, cuius verbum mutari est omnino impossibile, ad quid cum iuramento suas facit promissiones? *Complens iuramentum, quod spondi Abraham.* Iuramentum appellat sponsonem factam; voluit potius in promissionibus securum reddere Isaac, quam attendere ad celsitudinem, ac maiestatem suæ infallibilitatis, D. Chryostom. homil. 51. in Genel. *Non dixit simpliciter Deus, ait, pater, quæ feci cum patre tuo, neque promissiones, quas promisi, sed quid? iuramentum. Vides Dei misericordiam? non ad propriam dignitatem respiciens loquitur, sed ad nostram condescendens infirmitatem. Nam, quia homines ferè semper illa opera perficere student, non quæ simpliciter promiserunt alicui, sed quæ cum iuramento promiserunt: simili modo & Deus iusto plenam fidem faciens, quæ à se dicta sunt, dicit iuramento firmata. Ecce diuina bonitas potius attendens ad nostram infirmitatem, quam ad eminentiam suæ maiestatis, & ideo vt omnem hæsitacionem ab animis nostris excludat, iuramentum vitur, vt est consuetus modus inter homines ad firmandas suas promissiones. Vides Dei misericordiam? non ad propriam dignitatem respiciens loquitur, sed ad nostram condescendens infirmitatem.*

Deum potius attendis ad nostrum commodum, quam ad suam dignitatem. Chryost.

61.

62.

63.

QVÆSTIO XI.

Quare Apostolis promittuntur sedes in regeneratione?

66. Hilarius in præsentis per regenerationem Baptismum interpretatur, est enim quaedam regeneratio spiritualis, qua peccato emortui in vitam spirituale nascuntur. D. tamen Chryostomus D. Hieronymus D. Paschas. Albertus Magnus, D. Thom. communem, ac futuram resurrectionem in die iudicij intelligunt, in qua corporis, ac totius hominis fiet quaedam regeneratio ad gloriam, ac etiam mundi renouatio. Vnde Syriacus vertit. *In seculo, Atabicus, In regeneratione ventura: Origenes, In regeneratione omnium. S. Gaudentius, In Resurrectione omnium.* Tunc enim cæli noui, & terra noua fient, Isai. 65. n. 17. Apoc. 21. n. 1. & 1. Petri 3. n. 13.

67. Quæstio præsens est. Cur Dominus suis promittit sedes in die vniuersalis iudicij, ac communi omnium resurrectione, per quod denotatur magna dignitas, ac excellentia Apostolorum? Euthym. per duodecim sedes in regeneratione, ait, inuuit fruitionem, siue requiem, ac præcellentiam duodecim discipulorum, & regni sui communicationem.

68. Moraliter secundò respondet D. Bernard. super hæc verba. *Quid est, ait, quod dicit in regeneratione? aut quæ est hæc noua generatio? forte, & altera regeneratione opus esse videtur; nec solum denno, sed & tertio hominem nasci, necesse est. Infelix ego homo, & miserabilis casus meus, cui non vna sufficit, cui necessaria est duplex regeneratio. Promittuntur Apostolis sedes, non in hac generatione, sed in regeneratione, hoc est in altera generatione. Vt enim possit quis in cælum ascendere, in cælestique sede quiescere, noua natiuitate, ac generatione indiget. Homo in hac generatione*

65. Genel. 26. Vt homo ascendat in cælum, renouandus est à facie mortalis vitæ.

multis delictis coinquinatus degit, necesse est ergo vt multipliciter regeneretur, ac reformetur in vita, vt sursum in cælum feratur. Cum Christus Dominus ascēdit in cælum, adstant sancti Angeli, & dicunt Apostolis, *Vri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Act. 1. n. 11. Ad quid Angeli vocant Apostolos Galilæos? Nam Galilæi homines viles, ac contemptibiles erant habiti. Vnde cum Nicodemus in Christi fauore loqueretur, dicunt ei Pharisei: *Nunquam tu Galilæus es?* Ioan. 7. n. 52. ex quo Iulianus Apostata, vt refert Nazianz orat. pro contumelia Christianos mandauit Galilæos dici: *Quasi præeminentes dignitate, è loci vocabulo.* Galilæi iuxta vocabuli significationem, idem est, ac transmigratores. Cum Apostoli aspiciunt Christum euntem in cælum, eos Angeli appellant transmigratores, quia si Christum euntem in cælum volunt sequi, necesse est transmigrare à vita generationis huius, in noua regeneratione Christum imitantes, vt tanquam præeminentes dignitate valeant in cælum conscendere.

69. Tertio. Quomodo sacris Apostolis pollicentur sedes in regeneratione ad iudicandum? Nam sancti Apostoli non solum in hoc sæculo, sed etiam in altero iudices exiterunt, ac sedes habuerunt. Petrus, vt summus Pontifex, ac caput orbis, in cuius successoribus eius potestas perdurat. Ceteri autem Apostoli ex vi suæ dignitatis Apostolicæ etiã acceperunt à Christo Domino potestatem ad suum munus rectè agendū, prout requirebatur, vt vnus quisque iret cum potestate plantandi ecclesias, creandi pastores, ac sacerdotes, & ad censuras ferendas, ac à peccatis absoluendum. Dixit eis Christus Dominus *Matt. 18. n. 18. Quæcumq; aligaueritis super terrâ, erunt ligata & in cælo.* Et *Io. 20. n. 21. sicut misi me Pater, ego mitto vos.* De quib. latè agit Bellar. l. 2. de Conc. c. 14. Suar. l. 4. de leg. c. 3. n. 6. & 7. Salas d. 8. sect. 3. n. 24. Hoc posito ergo cur Apostolis in præmium non dantur cathedræ ad iudicandum in hoc sæculo, sed in futuro, in regeneratione? Huius vitæ sedes, cum essent cathedræ pastorum, ac prælatorum, erant laborum domicilia, multis ærumnis, ac pressuris circumdata; at vero alterius vitæ sunt sedes gloriae, maiestatis, ac quietis; præmia autem, quæ à Deo suis iustis conferuntur, aliena sunt ab omni molestia, & vndique exultationis, gaudij, & gloriae plena extat. Vide supra c. 5. n. 161. c. 9. n. 96. vide tom. 2. & 3. verb. *Prælatu.*

70. Quarto. Apostoli referuati erant, vt per multa tormentorum genera à tyrannis interficerentur, quomodo etiam eorū iudices à Christo Domino instituantur. Erūt tamen iudices in regeneratione, in altero nempe sæculo, vbi omnis euacuatur carnis affectus; Iudex autem ille, qui omni carnis, ac sanguinis morsu caret, aptissimus inuenitur, vt de amicis, ac inimicis sententiã ferat, Eccles. 47. n. 2. Miras laudes decantat Dauid optimi, ac magni regis Israël. *Quasi adeps separatus à carne sic Dauid à filijs Israël. Quid habet magnus Rex Dauid cū adipe? cur non alterū elogium ei appropriatur? Ad quid eius excellentia cum adipis similitudine exprimitur? Adeps fit ex carne, & sanguine, tamē nihil carnis, ac sanguinis vendicat, sic optimus Rex Dauid quāuis ex carne, & sanguine esset progenitus, nullos tamen carnis, & sanguinis effectus edebat, sed omnino ab illis in suis actionibus separatus erat, Rabban. Ostendit, ait, Ecclesiasticus scilicet, eum gratia Spiritus sancti repletum, à carnalium, & peccatorum hominum consortio, in moribus, & vita sequelæstratum esse.*

FFF Quintò.

Act. 1.

Ioan. 7.

Nazianz.

Math. 18.

Ioan. 20.

Bellar. Suarcz. Salas.

Sedes Prælatorum laborum domicilia.

Iudex sit alienus ab omni affectione carnis, & sanguinis. Eccles. 47.

Rabba.



71. Quindò. Obsequium de presententi exhibetur; Vos, qui secuti estis me. At præmium valde sero promittitur: In ventura generatione. Vt legit Arabicus. Paulatin ad magnas dignitates eundem.

Cant. 6. Quis est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol: Cantic. 6. num. 9. Cum auroræ meminit cur statim cum sole non facit comparationem, qui auroræ succedit, ad quid lunam inter solem, & auroram interponit? Aurora lucis initium, luna autem lucis augmentum, sol verò lucis plenitudo; noluit ergo ex Auroræ crepusculo statim ad splendidam solis lucem se extendere, & ideo tanquam medium lunam apponit. Ad hoc respiciunt D. Ambros. lib. 4. Hexamer. c. 8. D. Augustin. Epist. 80. Philo Carpatus de Ecclesia iustorum interpretantur. Beatissima sponsa, inquit citatus Philo, veluti aurora ascendere dicitur, cum primo à tenebris delictorum ad lucis sanctitatem abscissit; deinde veluti luna à magnis profectibus virtutum ad altiores probitatis gradus ascendit per ampliore diuina gratia cumulata. Postremo in die iudicii relicta mortalitatis carne, immortalitatis lumine, æterna claritate, instar solis vestietur. Vide multa in Indice, verb. Paulatin, hoc tom. & 1. 2. ac 3.

72. Sextò. Pollicentur sedes viris Apostolicis non in hoc sæculo, sed in regeneratione, quando liberi ab omni carnis impulsu, ac illustrati cælestibus donis Spiritus sancti extiterint, nam regendi, ac iudicandi domiciliū consistere debet omnino alienum ab omni carnis affectu, & dirigi secundum dictamen legum iustitiæ, ac rationis. Mandauit Deus Moyse super arcam, in qua includebatur lex fieri propitiatorium; præcepit deinde: Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies: Exod. 25. n. 18. qui manibus teneant ipsam propitiatorium. Cur potius duo Cherubim ad hoc destinantur; quam duo Seraphim? nam hi sunt spiritus nobiliores, ac proximiores Deo adstant. Tamen Cherubim eliguntur. Seraphim sunt spiritus amoris, ac proinde amicorum symbolum gerant, Cherubim vero pleni dicuntur scientia, ac sapientia. Propitiatorium erat veluti cathedra, ex quo Deus tanquam supremus omnium legislator, ac gubernator dabat responsa, & oracula; circumstant ergo Cherubim, non vero Seraphim, quia iudicij, ac regiminis sedes, non est amantium domiciliū, sed rectè sapientium, ac intelligentium secundum legum, iustitiæ, ac diuinæ sapientiæ ductū D. Bonau. 1. part. de Eccles. Hier. c. 33. de prælatis loquens. Quasi à sinistris, ait, eriguntur Cherub quoad scientiam in humanis, ut scilicet sciamus qualiter in medio huius praua nationis sapienter conuertemur: in alia vero parte debet esse Cherub quoad sapientiam in diuinis, ut scilicet secundum spiritum diuinæ sapientiæ nos cælestibus conformemur.

73. Septimò. Dantur Apostolis sedes in regeneratione, seu vt legit Syriacus in sæculo nouo. Seu in altero sæculo, nam cum iustitia iudicare, sæculi magnates damnare, ac conculcare, bene meritis præmia conferre res huius sæculi non est, sed alterius. Signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Apocal. 12. num. 1. Luna, quæ est vna è duobus luminariis magnis, quæ Deus creauit: fecit Deus duo luminaria ma-

gna. Genes. 1. & tamen sub pedibus conculcatur; stellæ verò ita subleuantur, vt in capite reponantur; quidnam id denotat? Luna quamuis sit luminare magnum, suos patitur defectus, proindeque principes sæculi significat multis criminibus infectos; scintillantem verò stellæ benemeritos adumbrant, vt docet D. Bernard. serm. in signum Mag. Hoc autem quod est potentes sæculi pedibus conterere, fulgentes meritis, tanquam stellas ad caput subleuare huius terrenæ habitationis res non est, sed tantum cæli, & ideo apertè dicitur: Signum magnum apparuit in celo.

Mittitur Samuel à Deo in Bethlehem, vt eligat in regem vnum ex filiis Isai. cum Propheta esset ingressus domum illius. Vocauit Isai Aminadab, & adduxit eum coram Samuele, qui dixit nec hunc elegit Dominus. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, & ait Samuel ad Isai: non elegit Dominus ex istis, i. Regum 16 n. 8. Sed tandem eligitur vnus paruulus David, qui pascibat oves. Ecce Samuel electurus vnum ex filiis Isai. in regem, ad omnes filios mittitur; cur non dicitur nominatim qualis sit eligendus: sed vadit, vocat omnes, & despiciat maiores natu, præstantiores forma, ac corpore, & vnus paruulus David eligitur. Vt demonstraretur electio non humano spiritu, sed diuino nutu dirigi; nam despiciat maiores natu, gradu, ac dignitate, & contemptibiles assumere non humani, sed diuini est consilij. Sic rem explicat in presententi. Abul. q. 26. Iudicare, ait, non considerata qualitate corporis, sed animi non hominis, sed Dei est.

QUESTIO XII.

Quare Apostolus tunc designatur sedes, cum sederit filius hominis?

IN exordio huius quæstionis nota, quod ad iudicandum multi cum Christo adstant, ad mortem vero, & passionem ipse solus pro nostra salute est destinatus. Torcular calcami solus, & de genibus non fuit vir mecum, Isaiæ 63. num. 3. fugientibus Apostolis ipse solus in mortem traditus est. Vt ponderat D. Athanas. quæst. 110. Solus ipse Christus ait, pro nobis mortuus est; Petrus namque Christum negauit, & ipso passionis tempore ceteri quoque Apostoli dederunt se in fugam. Ecce in passione omnes Apostoli fugiunt, & ipse solus se ad crucem pergit; at vero ad iudicium multos secum assumit socios. In presententi suos discipulos, ait. Cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel. Imò, & Sapient. 5. num. 21. dicitur: Acnet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Cum ad iudicium venit, nullum patitur deesse discipulum, quin & secum omnes conuocet creaturas, pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Cum verò ad saluandos omnes homines deuenit, omnes Apostoli abire permittuntur, ipse solus crucem conscendit; cur Domine, tot vocas socios ad iudicium, sic vero solus ad omnium salutem pergis? Doctè responder P. Didacus de Baëça tom. 4. in Euang. lib. 18. cap. 12. Ad puniendos, ait, homines, quæuis apta est creatura, & sic vniuersæ assumuntur: ad saluandum nulla valet creatura, solus id potest Iesus verus Dei filius.

Ad quæstionem respondeo primò iuxta doctrinam D. Hieron. Paschasij. D. Thom. Carthusiani, Abulens.

Arabicus. Paulatin ad magnas dignitates eundem.

Ambros. August.

Philo Carp.

Exod. 25.

Iudæe iudicet, & regat non secundum amorem, sed scientiam.

Bonaent.

73. Syriacus.

Apocal. 12.

Genes. 1.

In celo, & non in terra despiciuntur potentes sæculi, & eliguntur benemeriti. Bernard.

74. i. Reg. 16.

Non hominæ, sed Dei est despiciere, maiores, & assumere eorum contemptibiles.

Abulens.

75. Isai. 63.

Athanas.

Sap. 5.

Ad puniendum multa assumuntur creatura, vnus solus Iesus dat salutem.

Baëça.

76. Abulens.

Abulens. quæst. 192. Quod cum ait Dominus. Cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue: Excrescens manifestè, ac vniuersaliter suam potestatem iudicariam, dans singulis in anima, & corpore, quæ meruerunt, tunc ait suis viris Apostolicis, sedebitis & vos. Vos nunc humiles, & abiectioni, non stabitis vt ceteri iudicandi, sed mihi proximi sedebitis super duodecim thronos valde gloriosos: per quod denotatur eorum magna excellentia, potestas, ac dignitas, ac eorum requies, & fruitio, vt superiori quæst. in prima ratione dixi ex Euthymio. Et sic hic etiam allusio ad regum morem, qui cum in summo tribunali confident, aliquos viros magnos veluti consiliarios habent in confessu proximos.

Secundò. Vt appareat ingens Christi potestas, ac benignitas, qua seruos suos ita euehit, ac extollit, vt eos faciat secum sedere super thronos gloriæ, & maiestatis. Oculi mei ad fideles terra, vt sedeant mecum. Psalm. 100. n. 6. & tamen apud Isaiam 6. n. Cum Dominus apparet super solium excelsum, & eleuatum. Seraphim stabant super illud. Quid mirabilis, Seraphim nobilissimi spiritus stant, & homines terreni ad consortium sedij, de quo vehementer admiratus D. Chrylostom. ait ibi. O ingens miraculum: Iudei sedent, & corporis expertes adstant. Vt apertè videatur magna Iesu potestas suis fidelibus data, vt homines Iudei cælestibus etiam virtutibus sublimiores appareant.

Tertiò. Quid est, quod ait Dominus, cum sederit filius hominis sedebitis & vos. An Christus tunc sedebit, quando Apostoli in vltima die iudicij sedent: Ipse enim iam modo sedet. Assumptus est in celum, & sedet à dextris Dei. Marc. 16. num. 19. Promissio autem facta, sedebitis & vos, futurum tempus, nempe diem iudicij respicit. Quomodo ergo dicitur, cum sederit sedebitis; cum ipse iam modo sedeat? Verum est, quod Christus Dominus in se, & quo ad dignitatem capitis iam sedet, tamen adhuc cum suis membris stantibus, ac laborantibus in terra ipse stat, & laborat, ne ipsi destituti tanto consortio, ac solatio frangantur. In vltima autem die iudicij quando iam finitis laboribus huius vitæ suos vocat ad æternas sedes, tunc dicitur, quod ipse sedebit cum suis Apostolis. D. Bernard. in suis declamationibus: An magis audebitis dicere, & ipsum adhuc stare quodammodo, & ipse cæcis necdum sedes consummata videtur: nec dum pedibus eius scabellum supposito, quod à Patre promissum est? Non quod illi plenitudini quippiam destit, sed quod membra caput expectet. Audeat hoc testari, qui meruit intueri: Ecce ait Stephanus video celos apertos, & filium hominis stantem, Actorum 7. num. 55. Non sedebat filius hominis, sed stabat. Petrus Damianus de S. Stephano stabat. Et cum bellante bellabat. S. Ambrosius epist. 20. vel 82. ad Versalen. Vt solitus inuaret athletam, quem paratus coronaret.

Quartò. Antequam Deus fieret homo, valde rigidus erat in suppliciis inferendis; at post nostram carnem assumptam valde pius, & misericors est in humanum genus. Tamen Deus olim ad iudicandum stabat. Deus stetit in Synagoga Deorum, Psalm. 81. num. 1. Stat ad iudicandum Dominus, stat ad iudicandos populos, Isai. 3. num. 13. At verò modo in lege gratiæ sedens iudicat. Cum sederit filius hominis, in sede maiestatis sue. Pedibus stare quandam celeritatem, ac festinationem denotat, sedere verò moram, & cunctationem dicit. Sylueira in Euang. Tom. IV.

Quid est quod antiquitus Deus celeriter, ac velociter iudicabat; nunc verò cunctanter, ac cum dilatione? cum enim in presententi maiora sunt beneficia nobis exhibita à Deo, maior, ac exactior est illorum ratio persolueda. Ex augmentatis donis, augmentatur, & illorum ratio reddenda. Vide supra cap. 27. num. 107 & 108.

Quintò. Vt rectè notat D. Chrylostomus homil. 65. Non enim sedebitis solummodo dixit. Non dixit Dominus absolute, ac simpliciter: sedebitis vos, sed denotat tempus, ac illius occasionem. Cum sederit filius hominis. Magnus est enim honor, ac gloria regnante iustitia sedem habere: Cum sederit filius hominis, sedebitis & vos. Cùm enim ipse supremus omnium iudex, ac arbiter sedem constituerit, tunc & vobis cathedræ conceduntur. Ierunt ligna, vt vngerent sibi regem; dixerunt oliuæ, fico, ac viti, impera nobis, quæ illorum regimen respuerunt: Dixerunt quoque omnia ligna ad rhamnū: veni, & impera super nos, Iud. 9. num. 24. Cur tam nobile regimen repudiunt oliuæ, ficus, ac vitis? Vbi enim regnum in tam vili erat estimatione, vt rhamnū, quæ est spinosa, sicca, ac infructifera deferebatur, dedecbat nobiles arbores tale regimen, ac clauum obtinere.

Sextò. D. Chrylostomus homil. 65. Sedebitis & vos. sic ait: Conregnabit, & illius gloriæ participatione fruemini. Quid est, quod ait Dominus: Cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue. Respicit enim ad diem iudicij, cum ipse iam modo sedeat à die suæ gloriolæ Ascensionis. Assumptus est in celum. Verum est, quod Dominus modo residet in celo, in throno gloriæ, ac maiestatis, tamen insigniter dicitur, quod in die iudicij sedet in sede maiestatis suæ, cum ipsam sedem maiestatis suis communicabit, eoque illius participes efficiet. Conregnabit scilicet, & illius gloriæ participatione fruemini. Non patitur Dominus suam gloriam esse solitariam, sed vult maximè in omnes exundare, vt omnes ex illius abundantia faciantur, ac repleantur. D. Cyprian. serm. de Ascens. Hoc gloriæ vniuersi, ait, dilecti accumulati, quod beatitudini suæ non patitur esse solitariam magnitudinem; sed addidit fratres, non qui minuunt, quasi in plures diuisam excellentiam, sed qui altitudinem diuinitatum eius exornent participes, & consortes.

In Christi persona ait Regius Vates: Me expectant iusti, donec retribuas mihi, Psalm. 141. num. 9. ex Hebræo legitur: In me coronabuntur iusti. Quod explicans Caietanus ait: Tunc non solum coronabor, sed in me coronabuntur iusti. Summè ipsum expectabant iusti, ac desiderabant, sed quid expectabant, quando ipse scilicet gloria, & honore esset coronandus, certo ipsi sciebant, quod taliter coronam haberet, vt non solum sibi retineret, sed etiam illius alios participes efficeret. Tunc non solum coronabor, sed in me coronabuntur iusti.

Scribit D. Matth. cap. 10. num. 1. Conuocatis duodecim discipulis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Postquam eos late instruit, qualiter se debeant habere in prædicatione Euangelica, quod in via nec peram, nec calcamenta, nec duas tunicas, nec virgam habeat. Narrat idem Euangelista cap. 11. n. 1. Et factum est cum consummasset Iesus præcipiens duodecim discipulis suis, transit inde vt doceret, & predicaret in ciuitatibus eorum. Quid est, quod data Apostolis potestate sanandi, ac faciendi miracula Dominus transit inde vt doceret in ciuitatibus? Separat

Vbi maiora sunt dona, ibi maior ratio est exigenda.

80. Chrylost.

Decus regnante iustitia regnare, secus ignominia.

Iud. 9.

81. Chrylost.

Christus pro gloria habet, vt illius gloria sui sint participes.

Cyprian.

82. Psalm. 141. Hebraeus. Caietan.

Christus sua corona gloria alios facit participes.

83. Matth. 10.

Matth. 23.